HISPANVS Reformatus.

E. 16 80 2

Omnibus Ecclesijs *reformatis fidem Orthodo-*xam amplectentibus per totum *terrarum orbem diffusis, & præcipuè Illustrissimis Archiepiscopis, Episcopis Reuerendissimis:*

Pastoribus & Doctoribus meritissimis, in sancta synodo Londinensi, Anno 1621. iam congregatis: *Ioannes de Nicolas, & Sacharles Doctor medicus,*

S. P. D.

Londini, Excudebat Gualterus Burre. 1621.

CAMBRIDGE
UNIVERSITY
LIBRARY
1609.90

Argumentum.

HISPANVS *Reformatus:*

Narrat cauſas & rationes quæ eum ad Romanam Eccleſiam deſerendam impulêre.

QVamuis natione Hiſpanus ſim, & cum lacte Nutricis, Papiſmi errores ſux-

iſſe me fatear. Quamuis infantiam, pueritam, Iuuentutemq; totam, in eadem fæce educatus tranſegerim: Vix tamen ex ephœbis exceſſeram, cum ſuſpicari cœpi, Tranſubſtantiationem Panis & Vini, in Corpus & ſanguinẽ Chriſti Domini, figmentum eſſe, ſimile figulo ſuo, Antichriſto Romano, & fragilitate & prauitate. Cauſa ſuſpicionis fuit, quòd Dominus Bartholomæus Hernãdez, Præceptor meus, vir doctiſſimus, publice nos docuerat Ilerdæ, in Catalonia, Anno Dom.

Dom. 1596. ſuos pluſquam ducentos auditores, Deum optimũ maximum, nequaquam poſſe, de potentia ſua ordinaria ponere vnum, & Idem Corpus numero, in pluribus locis, in eodem inſtanti temporis: Dicebat hoc implicare contradictionem quia poneret, corpus, & non poneret; ablata enim à corpore, ſua propria paſſione & proprietate, occupandi nimirum vnum locum, neceſſe eſt, formam, naturam, & eſſentiam ipſius corporis, deſtrui, & perire, eo quòd proprietas occu-

pandi vnum locum, fluat neceſſario ab ipſa forma, & natura corporis ; nec poſſit ab ea ſeparari , de Dei potentia ordinaria, niſi deſtructo ſubiecto a quo dimanat; occupare autem vnum locum, eſt vera proprietas & propria paſſio corporis, propterea quod conueniat omni corpori, ſoli, & ſemper , reciproceturq; cum corpore. An vero Deus, O. M. poſſit de potentia ſua abſoluta, & extraordinaria (qua Deus facit quidquid poteſt, aut facit opus, quo melius aut perfectius facere non poteſt)

teſt) ea facere, quæ implicant contradictionem, noluit Magiſter meus, aut affirmare, aut negare: Oceanus eſt mihi (dicebat) quẽ paruulâ ingenioli mei cymbâ, ingredi non audeo, Hoc autem conſtantiſſime affirmabat D. O. M. nunquam vſum fuiſſe hac potentia, niſi in vno opere incarnationis, Quo (dicebat) melius, aut perfectius non poſſe facere, non ſic de toto hoc mundo & ſingulis eius aut ſpiritibus, aut corporibus; nam poterat, ſi voluiſſet, multo meliores Angelos, multo meliores

homines, multo meliores cœlos, &c. creare. Hæc Præceptor ille noſter.

Ex hac Doctrina, iniecto mihi ſcrupulo, inferebam ego apud me, quamuis adoleſcentulus, tranſſubſtantiationem, quæ in eodem inſtanti temporis, ponere audet corpus Chriſti Domini, in multis locorum millionibus, non eſſe factam a Deo, multoque minus poſſe a ſacrificulis fieri. Non enim facta fuit de potentia ordinaria, qua Deus non poteſt facere, quæ implicant contradictionem; neq; de potentia ab-

absoluta & extraordinaria, quia (vt volebat meus Magister) hac potentia Deus nunquam est vsus, nisi in vno, Incarnationis opere; ergo Transsubstantiatio nō est facta a Deo.

Vt libere loquar, quod sensi postea, suspicor Præceptorem hunc meum vt caute se exprimeret, perplexe loquutum; adeoq;, cum hunc transsubstantiationis lapidem intus non concoqueret, se ipsum suppressisse, ne euomeret, & vt vno verbo dicam, verborum laqueis se vltro implicasse, ne Inquisitionis laqueis

laqueis implicaretur; Debebat enim vir doctiſſimus; veritatis conſcius, audacter affirmare, Deum O. M. neq; de potentia ſua ordinaria, neq; de extraordinaria, poſſe ea facere, quæ implicant contradictionē, ac per conſequens, neq; collocare vnum & idem corp⁹ numero in pluribus locis in eodem inſtanti temporis: non certe ex defectu potentiæ actiuæ in ipſomet Deo omnipotenti; ſed ex defectu potentiæ paſſiuæ in creaturis & figmentis, quæ niſi deſtructa propria natura, forma

ma & essentia (quæ hic supponitur superesse) pati non possunt eam proprietatem ab ipsis separari, quæ necessario fluit ab essentia, ipsamq; sẽper comitatur; Quid enim absurdius quã si dixerim ponam hominẽ cui tamen auferam τὸ λογικὸν, hoc est hominẽ dabo, non hominem supponam circulum cuius tamen radios fingam non esse æquales.

Vehementer doleo, quòd audita hac voce Domini me vocantis, obdurauerim cor meum, & nouem annorum spatio, Missas dixerim, auriculares confessiones

nes audierim, falſæ Religionis aſſertor acerrimus extiterim, in Ordine S. Hieronymi omnium Hiſpanorum nobiliſſimo, quando cucullum indui 17. tantum ætatis annum agebam (aliquid donandum eſt ætati, ſi minus maturo iudicio rebus conſului ad ſalutem meam ſpectantibus) multos tamen progreſſus feceram, in lingua Latina & Græca, in Rhetorica, et Poëſi, in Logica & vniuerſa Ariſtotelis Philoſophia, nec non etiam Medicinæ aliquantulum operæ dederam. In Monaſterio

Theolo-

Theologiæ me dedidi, ac assiduæ diuinarum scripturarũ lectioni, quibus vt cõmodius vacarem, missus fui ad ditissimum & illustrissimum illud collegium S. Laurentij ab Escuriali a Philippo II. extructõ, & coram cuius Maiestate primam missam (quã nouam vocant) cecini.

Silentio præterire nec possum, nec debeo, me tãto temporis spatio quo celebraui, nullum omnino gaudium, nullum solatiũ, nullam animi tranquillitatem, & pacem ex Missæ communione, & putato sacrifi-

crificio incruento percepiſſe, quamuis in me ipſo *probando* (vt vult Paulus) & præmittenda confeſſione auriculari (vt iubet Papa) diligentia vterer haud vulgari. Cum ergo in dies ſingulos magis ac magis grauiſſimo meo damno experirer, me non poſſe cum Apoſtolo dicere, *Gaudium noſtrum teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; & cum in Scripturis ſanctis nullam viderem, aut Miſſæ aut Tranſſubſtantiationis, aut ſacrificij incruenti, aut illi⁹ ſacrificulorũ fieri mentionem, aut probationem, ipſam

1 Cor. 11. 28

2 Cor. 1. 12.

ipſam Miſſam, miſſam facere, ſtatui, ac decreui.

Auxit autem mihi animum tranſſubſtantiationis negandæ, Miſſæque relinquendæ, non ſolum ſupra recitata Præceptoris mei doctrina, quam in Monaſterio exactiſſime ruminabam; ſed etiam quod Bonus ille vir nunquam celebrare volebat, quamuis ſacerdos eſſet, ac etiam ab amicis nobiliſſimis rogaretur; cuius & reſponſum prudentiſſimum erat, ſe nunquam potuiſſe Miſſæ ceremonias tam multas ediſcere aut memoria retinere

nere, nec ſe poſſe celebrare quin aſtantium ludibrio læſum iri Miſſæ ſacrificiũ exiſtimaret. In lepido hoc ſubridentis reſponſo, aliud video verbis exertum, aliud mente occultatũ: Conſuluit proculdubio infirmitati rogantium, ne ipſorum reprehenſionem incurreret; nam illius Doctrina ſatis, ſuperq; patefacit iniectum fuiſſe illius animo ſcrupulum non facile extirpabilem, imo altiſſimas in ipſius mente radices egiſſe de Tranſubſtantiatione ſuſpicionem, Ideoq; ad Altare celebraturũ accedere

accedere noluiſſe, quia cõtra ſentiens aut dubitans intentionẽ celebrandi habere non poterat.

Aliud autem me vlterius impulit ad Romanam Eccleſiam contemnendã, deſerendam quòd Papa creatura cum ſit, Creatoris ſui legem per quam in nouiſſimo die iudicandus ipſemet eſt, iudicare auſus fuerit. Hiſpanis enim pro primo præcepto Decalogi, Digito Dei ſcripti, aliud propoſuit, ac ſubſtituit. Explico me: Primum Decalogi præceptum digito Dei in Monte Sinai Scrip-

Exod.20.

ſcriptum, huiuſmodi eſt, *Non habebis Deos alienos coram me*. Hoc præceptum Hiſpanorum populis & multitudini non proponitur, neq; vlla de eo apud indoctum vulgus fit mentio. Quodnam ergo eſt primum præceptum Decalogi apud Hiſpanos, a vulgo recitatũ? Hoc: Diliges Deum ſuper omnia. Non negauerim hoc eſſe præceptum Dei, idq; maximum, tanquam toti⁹ primæ tabulæ ſummã, & medullam; ſed ſi hanc ſummam ponere liceat, loco ſingularis præcepti deleti,

Amar a Dios ſobre todas las coſas.

cur

cur non itidem in Hiſpanico catechiſmo expungitur vnum aliquod ſecundæ tabulæ præceptum,& eius loco ponitur, Diliges proximum ſicut te ipſum,quæ ſumma eſt ſecundæ? Sunt hæc, ſunt duo præcepta vniuerſalia,quæ decem illa particularia non excludũt, Imo nemo poteſtt Deum amare ſuper omnia,& proximum ſicut ſe ipſum,niſi decem illa præcepta exactiſſime ſeruauerit. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis omnia quæ præcipio vobis*, dicit Chriſtus. Ioã.15.v.14

Præceptum vero ſecundum,

Exod.20. dum, quod magnus ille & admirabilis Deus tot tamque tum amicis, tum etiam minacibus verbis confirmauit, adeo vt ſe *Deum Fortem, Zelotemq;* eſſe dicat, in quo omnem ſimulachrorũ, Idolorum & ſculptiliũ eorumq; quæ ſunt aut in cœlo, aut in terra, aut ſub aquis, adorationem, cultum, famulatumque, omne deniq; Idololatriæ, imo & Iconolatriæ genus prohibet, non ſolũ Hiſpanis; verum etiam Italis, Gallis, & reliquis romaniſſantibus Eccleſijs, omnino ſubtraxit ac deleuit Filius ille

ille perditionis: Caueat ergo ne nomen ſuum deleatur de libro vitæ iuxta illud Apocalypſ. Capit. vlti.

Viderint alij quid ſentiant, vnuſquiſque enim ſuo ſenſu ducitur. Ego autem, quamuis nulla alia eſſet peſtis in Romana Eccleſia, niſi iſta, quòd Papa auſus fuerit immutare primum præceptum Decalogi, ſecundum omnino ſubtrahere, præcepta digito Dei bis ſcripta, & *Moyſi* multis prodigijs & miraculis bis tradita, nunquam de Papicolis bene ſperabo niſi Deo auxiliante reſipiſcant

Act. 5. v. 29. cant, & diſcant *melius eſſe obedire Deo quam hominibus.*

Deinde non parum me ad Papiſmum fugiendum propulit, quòd dicente Chriſto Domino de Eucharistco calice, *Bibite ex hoc omnes*, Papa ſimili ſacrilegio dicat, ne bibatis ex eo omnes, ſed ſoli reges & ſacerdotes bibite : cæteri vero, ſub vna tantũ ſpecie panis communicate. Mirari multum ſubeſt, ac humili mente infinitam Dei patientiam, incomprehenſibilemque fortitutidem adorare & reuereri, qui ſe ipſum

Mat. cap. 26 v. 27.

ipſum vincens, continere ſe poteſt quin abominabilem, vel potius luciferinã ſuperbiam Romani Antichriſti frangat, igne deuorante de cœlo miſſo, aut hiante terra eum deglutiente; Cum olim Ozam percutiens interfecerit, eo quòd Arcam teſtamenti huius ſancti Sacramenti figuram, a bobus calcitrantibus inclinatam, tangere tantum auſus fuerit & reponere. *2.Reg.6.*

Poſtremo non poſſum non ingenue fateri magna me iracundia excãdeſcere ſolitum, quotieſcunq; mihi

in mentem veniebat, iſtius hypocritarũ omnium facile principis, qui ſe ſeruũ ſeruorum Dei vocat ; credat tamen, doceatq; poteſtatẽ authoritatemq; regũ in ſubditos, tantum eſſe de iure humano & poſitiuo ; ſe autem, quia Chriſtus Dominus dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra (quaſi ſi de Romano Epiſcopo dixiſſet) Iure diuino poſſe excommunicatos a ſe Reges regno priuare, cum illorũ ſubditis in iuramento fidelitatis diſpenſare, ipſoſmet Reges, a quibus voluerit

luerit interfici *iubere*: ita tamen vt iſte *exterminator*, neq; ſe, neq; eos cenſeat homicidas, qui tam atrocia, tam horrenda, tamq; luctifera parricidia, perpetrarint, quin potius arbitretur omnes Reges terræ interfici, non eſſe tantum malum, cuius vitandi cauſa, vnam liceat prodere confeſſionem auricularem a ſe inſtitutam; hæc cogitans obſtupui: ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit. *Virg.*

His & alijs ſimilibus rationibus adductus, decreueram, ac certo ſtatueram de

Babylone exire, cum primum occaſionẽ id honeſte faciendi nactus fuiſſem; vnum tantum dæmoniorũ genus me multis illecebris demulcens, ſupererat mihi euincendum, Adoratio ſcilicet Mariæ Virginis, illius cultus, illius inuocatio, morb⁹ ſane σύντροφος καὶ ἐγκόλπιος, ideoq; difficulter curabilis. Adeo Mariæ deuot⁹ eram, tã frequẽter illam inuocabam, illius imagines, quas in cubiculo numero ſex aut ſeptem habebam, tam reuerenter ſolitus eram adorare, ornare, flores illis offerre & fructus ſelectiſſimos.

simos: vsurpatis sæpissime verbis illis blasphemiæ plenis, Salue Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue; & Eya ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & rursus a periculis cunctis libera nos semper virgo benedicta, fœlix cœli porta, Regina cœli, Domina mundi: vt vix potuerim habitum hunc, tanta multitudine actuum, & quidem feruentium mihi cõparatum, nisi tanquam difficile mobilem, labore multo, lachrymis scilicet, *In Breuiario Romano.*

Deum ſæpiſſime, & longo tempore orando deponere; ſed cum inuocarem, exaudiuit me Deus Iuſtitiæ meæ, & ab hoc dæmonio meridiano hoc pacto me liberauit. Eram Bibliothecarius Monaſterij, nullus fratrum poterat me inſcio aliquem librum ex Bibliotheca extrahere, & in cubiculũ deportare; ſolebam ſingulis diebus Saturni, omnes libros recenſere, luſtrare, quemq; ſuo loco reponere: quod cum ex more facerẽ, inueni ſub ſcamno quodam inter viliores libros Hiſpanicũ quendã cui titulus

Dos

Dos tratados
El primero es del Papa, y de
ſu Authoridad,
El ſegundo dela Miſſa, y de
ſu Sanctitad.

Prima fronte iudicaui a Papicola compoſitum, ſed poſtquam Epiſtolam ad lectorem perlegi, quanto gaudio affectus fuerim nequeo ſatis explicare. Theſaurum me inueniſſe putaui, ſeruaui tanquam prætioſiſſimam margaritam, nemini oſtendi, perlegi totum: Inter alia reperi hiſtoriam quandam ex Trithemio deſcriptam in hæc verba.

Anno 1470. quidam nomine Alanus de Rupe, Dominicanus excogitauit & inuenit Roſarium Virginis Mariæ, quod Chriſti Euangelio neglecto prædicabat ; in lucem editus fuit liber, narrans miracula multa, Virtute Roſarij a Virgine Maria facta, cuius paulo poſt initium, author dicit, Beatam Virginem ingreſſam fuiſſe olim cellã aut cubiculum clauſum prænominati Alani; añulũ ex capillis ſuis feciſſe, quo ſibi Alanum deſpondit, oſculatam illũ fuiſſe, mammas tractandas præbuiſſe &

& ſugendas, ac deniq; tanta familiaritate cum Alano fuiſſe conuerſatam, quanta ſolet ſponſa cum ſponſo.

Quis quæſo patienter feret (vah) blaſphæmias adeo impudicas, & impudicitias adeo blaſphæmas? certe ego ſcribens erubeſco. Sed Deum O. M. toto corde laudo, quod ſtatim ac hanc hiſtoriã legiſſem, mea erga Virginẽ deuotio omnino refrixerit, nouam ſcilicet quandam cœpi videre lucem in Chriſti Euangelio, vbi *vnum tantũ* nos habere aduocatũ apud Deum & *Patrem*, *Ieſum*

1.Ioan. 2. cap. v.1.

Chriſtum iuſtum, non autem aduocatam, plene ac perfecte edoctus fui; Tunc vitam mihi acerbam putabam, eo quòd non poſſem honeſtam fugam arripere, & eò me conferre, vbi foris oſtenderem, quam intus in corde religionem profitebar; grauiſſimo fui morbo correptus acuto per decidentiam, vt medici loquimur, in cuius vigore & ſtatu voui Deo, me (ſi ex eo cõualeſcerem) nulla interiecta mora ad veros Chriſticolas, *Qui Deũ ſolum in ſpiritu & veritate adorant*, conuolaturũ. Nuncupato

Ioã. 4. v. 23.

cupato hoc voto cœpi cõualeſcere, & vt longa non eſſet conualeſcentia, data mihi fuit venia Patrios lares adeundi, duorumque menſium ſpatio ibi commorandi. Iui, manſi perfecteq; conualui; Elapſo tempore mihi conſtituto, Patre, fratribus, & cognatis, ad monaſterium me reuerti exiſtimantibus, ad Caucoliberi portum in mari Mediterraneo me contuli, nauem conſcendi, Romam petij, ea mente, vt viderem an Chriſtiana Religio in vrbe, quæ audit caput mundi, magis

quam

quam in Hiſpania floreret, & vt mirabilia Romæ cõtemplarer, quæ omnia ſi non vidiſſem, proculdubio eorum deſiderio ſemper æſtuaſſem. Quid dicam? Nihil nõ me Romæ offendit & ſcandalizauit. Quid Romæ omniũ aures oculoſque implet niſi authoritas diuina Papæ, Papæ ſanctitas, Papæ indulgentiæ, condonationes, Iubilæi? Nihil Romæ plenioribus buccis ſonat quam Beatiſſimus Pater, Caput Eccleſiæ, in terris Deus. De beſtia autem ſepticipite (hoc eſt, interprete Angelo, vrbe

be ſepticolli) de Muliere illa, quacum fornicati ſunt Reges terræ, hoſt eſt, eodẽ interprete, magna illa vrbe imperium habente in Reges terræ, de his & ſimilibus vaticinijs in Romuli nepotes ſatis aperte vibratis, ne νῦν quidẽ inter Romulidas. Ibi dum pergo, & templa luſtro, Deus bone, quam ceca, quam fæda ſuperſtitio! Velut vnda impellitur vnda, ita nouis ſubinde procuſis Sanctis detruduntur veteres. De heſterno quodã Sanctulo, cui tria templa Romæ extructa, eorumq; parietes omnes

Apoc. 17 9.

Apoc. 17. 28.

omnes, votiuis tabellis a tecto vſque ad pauimentũ ornati tacerem, ſi ipſi Romani tacerent, nec illum adeo ſonoro gutture inclamarent, ſi non omnia illius nomine ſtreperent, ſi ipſe hic Sanctillus non modo Deum, & Chriſtũ (quod leue fortaſſe ijs videtur) ſed etiam Mariam ipſam, Franciſcum, & Antoniũ, reliquoſq; omnes maiorum gentium Sanctos, de templis non deturbaret, & quaſi in exilium ageret. Carolus, olim Magnus ideo dictus quòd Saracenos debellaret, certe jam paruus

paruus dicendus, præ hoc nouo Carolo Borrhomæo qui non tam de hoſtibus, quam de amicis & ſodalibus ſanctis, fugatis triumphauit. Quidni hic admordentes ludamus de publico mundi ludibrio? Sed ab hac extaſi ad me redeo. Quaſi per menſem Romæ manſi, dies autem, noctesq; audire mihi videbar vocem Chriſti dicentis *Egredere, Egredere de Babylone.* Egredior bonis meis auibus, Monſpelium, quo a multo tempore conſilium erat appellere, appello; vbi miſerator *Deus oſtendit miſericordiam*

Eſa. 48. v. 20.

Pſ 47. v. 10. *ſericordiam ſuam in medio templi ſui*, & ſpiritus ſui gratia confirmauit cor meum, ita vt, octo ab hinc annis, depoſito ibi Hieronymiano cucullo, & abiurata Romanæ Eccleſiæ doctrina, fædiſſimiſq; erroribus, veræ ac reformatæ religionis impollutam & incõtaminatam fidem, publice ſim amplexus, tota fere perfuſa gaudio ciuitate: & quia Gallice neſciebam, ex conſilio paſtorum omnium, non ad ſanctum miniſterium (ob quam meam miſeriam frequentibus me gemitibus adhuc crucio) ſed

ſed ad diu intermiſſa medicinæ ſtudia me conuerti: ſed ecce mihi Hippocraticũ,& GalenicũMare nauiganti,turbulẽtiſſima obortaeſt tẽpeſtas;Quæ?Narro.

Pater meus ſenio confectus, octogenarius vtpote, ægerrime ferens, me ad hoſtes fidei, ad hæreticos (ſic de nobis delirant) deficiſſe,miſit Monſpelium, vnum ex fratribus, me ſeniorem,cum quodam conſobrino ſacerdote, * Qui primo precibus blandiſſimis, & lachrymis vberrimis, deinde rationibus, tũ ex Theologia tum ex philoſo-

Qui ſemel eſt laſſus fallaci piſcis ab hamo, Omnib. vnca cibis æra ſubeſſe putat.

loſophia petitis; Tertio donis & bonis huius ſæculi oblatis, tandem minis, & obiurgationibus terrificis, me a mea ſana mente deterrere, & a ſancto inſtituto auocare, quatuor dierũ ſpatio ſunt conati; lubet illorum vocem recitare.

Tibi ſunt (dicebant) duodecim filiæ fratrũ, aut ſororũ, iá nubiles, quæ nũquã in matrimonio collocabũtur, quãdiu heretic⁹ mãſeris; ij enim qui eas ducere vxores volebãt, dicunt, abſit a nobis, vt hæretici cognatas, & cõſanguineas vxores ducam⁹: Reuertere, reuertere ad

noſtram

noſtram religionem, ſi non propter conſcientiam (ſcimus enim te hominem literatum, non hoc temere, & ſine multis rationibus feciſſe) ſaltem propter honorem generis, & ſanguinis noſtri, cui notam maximæ infamiæ inuſſiſti, Romanã Eccleſiam deſerens antiquiſſimam, & nouam quandam religionem amplectens, quam, & omnes qui eam profitentur, Hiſpaniarum Rex vult omnino exterminare, ac perdere, eſtis enim pauciſſimi numero: Reuertere ergo ad S. Matrem Eccleſiam, ſaltem

ſaltem propter amorem & reuerentiam, quam debes patri noſtro octogenario, qui a quo tempore te hæreticum eſſe intellexit, decumbit in lecto ægrotus, mœrore ac triſtitia cõtabeſcens. Reſpondi, vt Chriſtianum decebat; ſed quia me impatienter audiebãt, nec ſaltem breuiſſimi temporis ſpatio, perpendere reſponſum meũ volebant, ſtratagemate pulcherrimo fratrem meum ad Dominum Falcarium dignum verbi Dei Miniſtrum adduxi, qui per horam integrã, & Romanæ Eccleſiæ falſi-

falsitatem, & reformatæ veritatem, ex vtriusq; doctrina, manifestissime demõstrauit. Obijcienti fratri meo reformatæ religionis nouitatem, Caluini, & Bezæ, & aliorum pastorum nullam authoritatem, antiquitatemue; Domin⁹ Falcarius sua illa eloquentia prope diuina, respondit: Quam vocas (Domine mi) Religionem nouã? nostram ne? falleris omnino, nostra religio & fides antiquissima est; Si Euangeliũ Christi, si Epistolæ Pauli, Petri, aliorumque Apostolorũ, (vno verbo) si

ſi nouum Teſtamentũ, antiquam, & veram docent Religionem, imo ſi & prophetæ, & totum vetus Teſtamentum idem præſtãt, fateare oportet & noſtram religionem, antiquiſſimã eſſe; nam nos nihil aliud credimus niſi quod legitur in veteri ac nouo teſtamẽto, & quod ex ipſis neceſſaria quadam conſequentia elicitur. Voca, voca quæſo, veſtrã religionem nouam; vnuſquiſq; enim Papa recens creatus, nova & inaudita præcepta & traditiones humanas, ex verbo nõ ſcripto deſumptas

tas, vobis ſeruandas, credendas, timendaſque ſub pœna peccati mortalis proponit; quas vobis leges vnus Papa ſeruãdas tradit, alius (illo vel morbo vel veneno ſublato) violare libere permittit. Nonne antiquiſſima eſt communio ſub vtraque ſpecie, quam Chriſtus Dominus inſtituit? At nos cum primitiua Eccleſia, & cum antiquiſſimis Patribus illam retinemus; & ad eſſentiam ſacramenti neceſſariam confitemur. Nonne novus eſt imaginum & Idolorum cultus, quẽ Deus ſecundo Decalogi

Mat. 26. Paul. 1. Cor. v. 11.

Decalogi præcepto tot verbis prohibuit: At nos Deo præcipienti obedim⁹, vos autem Papæ cõtra expreſſum Dei verbũ, Imagines adorare iubenti obtemperatis. Nonne noua eſt doctrina de tranſubſtãtiatione, quæ tantũ a quadringentis annis in Romanam Ecclæſiam irrepſit? Hanc nos conſtãter negamus: quia repugnat verbo Dei, implicat mille contradictiones, & Miſſæ aſtantes Idololatras facit. Eodem prorſus modo ac *ſenſu accipienda ſunt* verba hæc, Hoc eſt corpus meũ, quo

quo illa, *Petra erat Christus*, 1. *Cor. cap.* 10. *v.* 4. Hoc est Sacramentale pignus, Christum repræsentans & exhibens: vel quo illa Patriarchæ Ioſephi insomnia Pharaonis explicantis, *Gen.*42.*v.*26. Septem illæ vaccæ bona forma ſeptem anni ſunt, vbi verbum (ſunt) ex omnium Doctorum conſenſu, ſumitur pro ſignificant: idem Patriarcha explicans ſomnium famulo a poculis Pharaonis, dicit, tres illi palmites tres dies ſunt, id eſt ſignificant. An quando Scriptura dicit, vos eſtis

1 Cor. 12. v. 27. corpus Chriſti, & membra de membro, tranſubſtantiati ſumus nos in Corpus Chriſti? nonne ſpiritualiter iſta ſunt intelligenda? Adde Hebræam linguam carere hoc verbo (*ſignifico*,) & pro eo vti ſemper verbo ſubſtantiuo (*ſum.*) Chriſtus ergo vulgariter loquens non potuit dicere, Hoc ſignificat corpus meum, ſed ***Hoc eſt corpus meum***: Quiſnam ex Patrib⁹, qui primis quingentis annis, a Chriſti natiuitate floruerit, credidit nos Iuſtificari, ex operibus legis; non autem ex fide, vt Spiritus

ritus Sanctus per os Pauli loquitur, *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum?* Rom. 5. v. 1.

Quis ex antiquioribus Patribus aliud purgatoriũ cõstanter asseruit, quo purgentur animæ, antequam in cœlũ admittantur, præterquam sanguinem Christi Domini? *Purgationem faciens peccatorum* inquit Paulus, & Ioannes, *qui dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sãguine suo?* & rursus Paulus: *Si enim sanguis Hircorum & vitulorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sactifi-* Heb. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 5. Heb. 9. v. 14.

cat,ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, emũdabit conſcientiam noſtrã, ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?

Quis vnquam ex Patribus, totis primis quingentis, imo & ſexcentis annis, poſt Chriſti mortem florentibus, credidit, aut docuit Epiſcopum Romanũ, caput eſſe Eccleſiæ vniuerſalis; qui poſſit reges Regno priuare? cum Regum ſubditis in Iuramento fidelitatis, & in votis Deo legi-

legitime nuncupatis dispensare? Quos velit in numerum sanctorum cooptare? Ecclesiæ vniuersali leges imponere? Peccata remittere tanquam Iudex, animas e purgatorio educere? Iudicium ferre absolutum, & supremum sine appellatione, in his quæ ad fidem pertinent? Ita vt se errare non posse affirmet? & hac de causa, licere sibi Deum in terris, Ecclesiæ sponsum, Maiestatemque diuinam vocari? Hæc & alia permulta, eloquentissime coram fratre, Dominus Falcarius, quasi falce

acutiſſima, Zizania errorũ demetens, quibus lachrymas ab ipſo extorſit. Nihilominus videns ſe nihil apud me in ſuſcepta Religione conſtantem, confirmatumq; proficere; quarto poſt die, triſtis ac gemens, in patriam cum cõſobrino non minus afflicto reuertitur, me ſiccis oculis hilariq; mente eos euntes aſpiciente.

Biennio elapſo Baccalaureatus inſignijs in illuſtriſſimo Monſpelienſi Lycæo fui donatus; tribus ab hac prima laurea decurſis annis, quos tum in praxi, tum

tum in theoria medicinæ consumpsi; In florentissima Academia Valentiæ in Delphinatu, Doctoratus gradū, non qualemcunq; sed de rigore Examinis (vt litteræ testantur) accepi. Doctor creatus Medicinā feci, iuxta Montem pessulanum, & in alijs Galliæ locis, publicis stipendijs, (absit verbo inuidia) nec sine nominis celebritate: Ita vt fauente Deo (cui etiam soli honor sit & gloria) multos pene insanabiles morbos ac difficilimi Iudicij personarim Contigit mihi medicinam in sancto

Ægidio prope Nemauſũ & Arelatem publicis ſtipendijs facienti, quod lubens, ad Dei gloriam narro. Concionabatur in ea vrbe Iudaita quidam (videor mihi prophanare nomen Ieſu, ſi Ieſuitas appellem) nomine Rampala homo ſane eloquens, ſed fortaſſe ſupra modum loquax, peſſime in reformatos animatus. Hic in feſtiuitate omnium ſanctorũ, explicans, inter cõcionandum, reſponſum quod fecit Angelus Sancto Ioanni percontãti: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt, &*

Apoc. cap 7. v. 9 & 13.

vnde

vnde venerunt? Angeli Responsum est, Hi sunt qui venerũt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni: tum Rampala, O mihi carissimæ animæ, videte ne seducamini, considerate quæso Angeli responsum, non dicit isti sunt qui venerunt ex fide tantum, quã Doctrinam Hugonoti (sic vocant reformatos in Gallia,) sequuntur; sed qui venerunt ex magna tribulatione, ne ergo simus infideles sicut & ipsi, apud quos nullum sacramentũ, nulla pœnitentia, nulla

bona opera. Quæ verba vltima non veritus eſt effronti confidentia intonare, ac manuum applosione quaſi theatrica bonus hic hiſtrio exornare.

Dimiſſa concione percontati a me ſunt tres aut quatuor Papicolæ ſatis mei amici quid mihi viſum fuiſſet de Rampala: reſpondi eum eſſe eloquentem, ſed noſtræ confeſſionis fidei plane ignarum: quippe qui nobis imponeret, & aſcriberet aliam quandam confeſſionm, ei quam facimus omnino contrariam. Dixit nos nullum

lum habere Sacramentum. Hoc eſt craſſiſſimũ mendacium: habem⁹ a Chriſto Domino inſtituta Baptiſmum & ſanctam Cœnam: quinque autem reliqua, ſacramenta a Romana Eccleſia vocata, & ab ipſa inuenta, nos pro genuinis non agnoſcimus. Dixit nullam eſſe apud nos pœnitentiam, & hoc falſum: nos credimus Euangelio pœnitentiam illis verbis præcipiẽti, *Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis*, & rurſus, *Pœnitentiam agite, appropinquat enim ad vos Regnum cœlorum.* Quotidie

Luc. 13. v. 3

Mat. 3. v. 2

die noſtri miniſtri hæc Euangelij verba pœnitentiá ſuadentia, & præcipientia nobis inculcant. Dixit nos floccifacere bona opera, & hoc falſiſſimum, nos credimus cum Bernardo bona opera viam eſſe ad Regnum, non autem cauſam regnandi, nos confitemur (& Bellarminus veſter hoc fatetur de nobis,) bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, non quòd illius ſint cauſæ efficientes aut meritoriæ (gratia enim Dei propter merita paſſionis Chriſti Domini, per fidem in ipſum, producit & effi-

lib 4. de iuſti. cap 1

cit

cit illam ſalutem in nobis) ſed quod hanc teſtentur & vera ſint ciuſdem τιμιότητα, Imo credimus fidem Iuſtificantem, nullo modo ſubſiſtere poſſe ſine operibus bonis, quæ *ſi in aliquo* deſiderentur, illius fidem mortuam cum Iacobo Apoſtolo nominamus. *Iac. cap. 2. v. 20. Item. 27.*

Renunciato quod dixeram, Rampala me odio proſequebatur. Prætor vrbis vir probus, nobilis, Doctus, & reformatorum quamuis ipſe pontificius, nec contemptor, nec perſecutor, rogauit me, vt in horto ſuo, cum aliquo amico

amico meo reformato Rampalam conuenirem, & cum illo diſputarem, aut illi argumentanti reſponderem; optatiſſimum mihi fuiſſe, & gratiſſimum fore, in arenam deſcendere cũ Rampala Prætori ſum confeſſus. Dominum Marcotum Pharmacopœũ virum doctum, probitate, & religionis reformatæ Zelo inſignem, ſociũ mihi elegi: ſed Rampala multoties in Arena expectatus tergiuerſabatur, nunquam auſus coram Hiſpano Reformato apparere, aut cum illo congredi. ſed quid fecit?

cit? vſus eſt opera cuiuſdã papicolæ, homicidæ publici, qui hominem occiderat in platea eiuſdem vrbis S. Ægidij, huic ſuaſit vt aliqua magna iniuria me afficeret, ille nequam leuiſſima de cauſa colaphum mihi infregit in vico publico. Hæc ſunt argumenta concludentia, hæc palma Rethorica, hic pugnus logicę Iudaitarum. Nec mirum cum eorum pugiles ſint ficarij.

Ego quid facerem? patienter tuli quantũ potui, annum abſolui, veniam diſcedendi petij, ex conſilio

lio cuiuſdam amici qui timens ne quid oboriretur ſcandali, diſcedere ex ea vrbe mihi perſuaſit, affirmans ſe certo ſcire papicolas mihi inſidiari. Diſceſſi, Reformatis fratribus pallium meum ſcindentibus, decem vero aut quindecim Papicolis non amplius, quaſi de me debellato triumphantibus: Diſceſſi, prout ſcriptumeſt, ſi vos perſequantur in vna ciuitate fugite in aliam, & alia maiora ſtipendia inveni in duobus oppidis, Bouverto & Kaylario appellatis prope Nemauſum, cuius incolæ

Mat 10. v. 23.

colæ omnes erant reformati.

Hic manens *Clypeum fidei* a Molinæo Gallice cõscriptum semel & iterum perlegi, multa quæ in eo sunt, salutis doctrinam perfectissime elucidantia, singulis fere diebus speculabar, Tunc ego sic apud me: O vtinam, Hispani fratres, qui magno polletis ingenio, Clypeũ hunc in manus sumere, hoc scuto, vos contra venenata maligni hostis tela armare per inquisitorum veniam vobis liceret, O vtinam cũ dispendio & iactura vitæ meæ

meæ, hoc ego poſſem aſſe-
qui, vt Chriſtō Domino
præcipienti,& *dicenti ſcru-*
tamini ſcripturas, obedire-
tis,non autem Antichriſto
Dominantium Domino,
contrariū Iubenti qui pro
ſacrarum ſcripturarū lecti-
one Imagines vobis ado-
randas, colendas,inuocan-
das, proponit,vtinam tan-
tillum illius lucis quæ mi-
ſeros homines e regno te-
nebrarum, in regnum filij
Dei glorioſum educit, vo-
bis affulgeret,& bonus ille
Deus qui lux eſt, & tene-
bræ in eo non ſunt vllæ,
diceret vobis, quod in
prin-

Ioā. 5. v. 39.

Col. 1. v. 13.

1 Ioan. cap. 1. v. 5.

principio dixit, & ſemper ſuis dicit electis *Fiat lux*, tunc certe non amplius eſſetis *tenebræ ſed lux in Domino*, non amplius *oues errantes* coram Idolis procumbentes *ſed conuerſæ ad paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*, Ieſum Chriſtum, *qui ſibi eas deſpondere* in vera fide per charitatem operante eſt paratus, impedit autem ne tanto bono fruamini, ille qui alter Chriſtus, & omnipotens vult vocari, dum præcepta Dei, vobis aut ſubtrahit, aut immutat, & ſãctas ſcripturas vernaculo ſer-

Gen. 1. v 3.

Eph. 5. v. 8.

1. Pet cap. 2. v 25.

Oſeæ cap. 2. v. 20.

ſermone, (ne illas intelligatis, & earum lumine, ipſius tyrannidem detegatis) prohibet legere & audire.

Luc. 1, v. 79. O vtinam vos *qui in tenebris & in umbra mortis ſedetis*, illuminaremini, orto vobis Iuſtitiæ ſole, vt egrederemini & ſaliretis tanquam vituli de armento, duriſſimum Papæ jugum (quod ipſemet nec digito audet contingere) a ceruicibus veſtris excutiẽtes, & ſuaui Chriſti jugo colla veſtra ſubmittentes: vtinam vtinã noſtram cõfeſſionem fidei, puram, ſimplicem ſcripturiſque

Mal. 4. v. 2.

maxi-

maxime consonam, hoc in clypeo exaratam legere & audire vobis esset permissum ab Inquisitoribus aut potius Inquinatoribus vestris. Tunc equidem turpitudinem & falsitatem vestræ religionis intueremini, eam non minus abominaturi quam nunc detestamini nostram eo quòd a cõcionatoribus vestris vobis depingi soleat, tam deformis, falsa & contemptibilis, quam in se est pulchra, vera & amabilis: Tunc luce meridiana, clarius videretis Reformatos, & Protestantes, quos vos hære-

hæreticos vocatis(eo quod Romani Epiſcopi Tyrannidem pati nolunt,) non credere(vt vos opinamini) multa, non ſolum verbo Dei, ſed & rationi humanæ repugnantia, Inſtillant vobis veſtri concionatores, nos credere B. V. Mariam non manſiſſe Virginẽ poſt partum, nos corrupiſſe aut detruncaſſe ſcripturas, nulla eſſe in noſtris Eccleſijs ſacramenta, aut ſaltem nos credere panem & vinum in Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini nuda tantum & ſterilia eſſe ſigna,

Dam-

Damnare bona opera, nullum admittere pœnitentiam, quod ad perſonas autem ipſas, veſter populus fraterculorũ latratu excit⁹ exiſtimat nos omnes, non homines eſſe, ſed ore canino aut porcino monſtra: in magalibus aut mapalibus barbaram & ferinam vitam agere. Hæc & alia quæ nobis riſum potius, quam refutationem prouocant.

De ſemper virginis Maiæ honore horrendum in modum violato viderint ipſi, qui non erubeſcunt cum legunt ea quæ præmiſ-

miſſimus de Alano per Virginem Mariam ſponſilibus donis ambito. Hæc omnia apud me agitans & cum quibuſdam verbi Dei Miniſtris probis & doctis, alijſque nobilibus viris communicans, illorum omnium conſilio, & precib⁹, magno cœpi flagrare deſiderio in linguam Hiſpanam vertendi prænominatũ clypeũ fidei, & nolens amplius ſpiritui ſancto reſiſtere (cui annum fateor & doleo reſtitiſſe) manũ operi admoui, quatuor menſiũ vigilijs, et lucubrationib⁹ non peperci,

Excel-

Excellentissimo Carolo Principi Walliæ dedicaui, quia antea eidem Celsitudini Gallico sermone fuerat ab ipso authore nuncupatus.

Cum autem quidam honestus vir Monspeliensis, cui in Hispaniam eunti literas ad fratres meos dederam, Inde reuersus, Iuratus mihi affirmaret, se a fratre meo natu majore audiuisse hæc verba, *Nihil in hac vita vehementius optamus omnes eius* (de me loquebatur) *sex fratres, quam eiusdem interitum: libentissime daremus pecuniã*

alicui ipſũ occiſuro. Videns me in Gallia quotidie de vita periclitari, huc in Angliam tanquam ad ſalutis portũ, me recepi, ea mente vt qui in Hiſpania malº erã medicus animarũ, in Gallia αντι θεου bonus corporum, in magna Britannia optimº fierem Medicus inprimis mei ipſius, corporis, animæq; ſaluti iuſta præcautione conſulendo; ſub imperijs ſereniſſimi Regis Iacobi intaminatæ fidei maximi * Defenſoris, quã maxime deſiderans, Regi Reformatã religionẽ profitenti obtemperare, & in ditione

* *Nec procul a ſtabulis audet diſcedere ſi qua, Excuſſa eſt auidis dentibus agna lupis.* Ouid. lib. 1 riſt. Eleg. 1.

ditione ſuæ maieſtatis procul a papicolis (quorum conſuetudo valde contagioſos morbos parere ſolet) aut meo ſacerdotio fungi, aut Medicinæ artem exercere, aut vtroque ſimul, victum mihi, & veſtitum honeſte quærere. Nolui autẽ manu inermi venire, ſed ad ſereniſſimum Principem Carolum M. Britãniæ orientem Phoſphorum attuli *Clypeum*, quem eius ſereniſſima Celſitudo humaniſſime (pro more ſuo) accepit, & experimento didici, quod totus terrarum orbis ore rotundo fa-

tetur,nimirũ Sereniſſimi & Potẽtiſſimi magnæ Britãniæ Regis, Excellentiſſimiq; Principis Caroli viuæ tanti Patris imaginis,in Deũ pietatẽ,omne flumen eloquentiæ exhaurire, eorumq; Zelum pro domo illius omnẽ dicendi copiã ſuperare,& in quos viſa eſt natura ex alijs omnib⁹ hauſtas virtutum dotes & ornamenta transfudiſſe.

Nunc autem ad vos me conuerto viri Patres; Illuſtriſſimi Archiepiſcopi,Reuerendiſſimi Epiſcopi,Paſtores & Doctores meritiſſimi, ad vos inquã me cõuerto,

qui estis *sal terræ, lux mundi, ciuitas supra montem posita*, ad hãc sanctam synodum tanquam ad ciuitatẽ refugij, confugio, non vt homicida, sed postquam nuperrime ab homicida fere occisus fui, Incunte scilicet Februario proxime præterito, mihi in templo S. Pauli Lõdinensi ambulanti, occurrit quasi obuiã ignotus quidam tenebrio qui præmisso de medicina colloquio, orat, vt ægrotãtem quandam lue venerea laborãtem ab alijs Medicis tanquam incurabilem relictam inuiserem, idq; sæ-

pius apud me per quatriduũ, etiã magna promiſſa mercede vrget: ego tandẽ nimis credulus cõceſſi; itinere ſeſquihoræ domo, & ipſa ægrota inuenta, habito longo de morbo ſermone; cum eo qui me adduxit, latine menſæ benedicẽti rogatus cœno. Audita octaua nocturna inde diſcedimus. Tunc ille me quaſi ad cubiculum meum (quod prius promiſerat) denuo reducturus, abducit longe alio, extra vrbem, extra viam per compita, per Angiportus, per campos, per loca deſerta & inuia, ſiſtit gradum

gradum interdum, ſubinde attente auſcultat; percontanti mihi cauſam, Exploro inquit an aliquis veniat a quo quæram quænã ſit via quæ ducit Londinum, quam ego certe amiſi, & plane vbi ſim neſcio; ſed certe mentiebatur, auſcultabat enim vt tuto & ſine teſtib⁹ me inuaderet. Deũ teſtor me cum illo in tenebris errantem neſcio quid mali præſagijſſe; oculos meos ad cœlum leuaſſe, *pœnitentia in Deum, & fide in Chriſtum* me pro viribus muniuiſſe. Nact⁹ ergo locũ opportunũ, in campo illo

Act. c. 20. 21.

magno S. Iacobi, hora fere decima noctis, ſtricto pugione me ſudito adoritur, iuxta ſiniſtrum cordis ventriculum, vnde duo illa maxime vitalia vaſa, arteria ſcilicet venoſa, & aorta oriuntur, grauiter vulnerat, ſtatimq; aufugiēs ſemianimem relinquit: vulnus mihi inflictum fuit nocte frigidiſſima, octo digitorum latitudine profundum, nō recta ſed oblique penetrans, ſatis periculoſum cū omnino neſcirem vbi eſſē, aut cuius opem implorarē, loquelæ anglicanæ neſci⁹, & proculdubio matutinā

lucem

lucem nō vidiſſem niſi bonus quidam Samaritanus eadem ipſa nocte, vulnus meum oleo & vino foueriſſet. Id eſt, niſi Illuſtriſſimus Dr. de Mayerno digniſſimus ſereniſſimi Regis primarius medicus, nō minus miſericordiæ & charitatis quam ſcientiæ & experientiæ plenus auxiliares mihi manus porrexiſſet, & niſi trium hebdomadum ſpatio in ſuis proprijs ædibus ſingularem meæ ſalutis curam habuiſſet.

Perſanato vulnere manet, manebitq; per totam vitam cicatrix cuius in religionis Reformatæ odium inflictæ adeo me non pudet, vt gratuler potius, & cum Paulo dicam, *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Gal. 6. v 17

nutio qui Nicenæ ſynodo interfuit, effoſſus oculus, ſucciſuſq; poples, pro Chriſti nomine, non deformitati habita ſed decori : mihi humillimo & abiectiſſimo Chriſtianæ religionis Reformatæ Profeſſori, addam etiam Confeſſori, liceat quæſo venerandi Patres in veſtra hac ſynodo, non localē quidem præſentiā, ſed opinionem bonam, amoremq; Paternū ſortiri. Paphnutius poſt accepta illa Chriſtianæ conſtātiæ ſtigmata, nō deſtitit Chriſtum eo etiā vehemētius profiteri & cōfiteri; ego certe periculoſo hoc cōflictu adeo non deterreor ab ea quā ingreſſus ſum perpurgatæ religionis ſemita calcanda, vt hoc pugione, quaſi

ſtimulo

ſtimulo, vel calcari incitatus, animoſior velociorq; euadã in ſuſcepto ſtadio percurrendo. Mihi itaq; Deo ita vrgẽte magis iam incumbit, vt cõtra Papiſmi errores calamum acuã, & omniũ Eccleſiarũ reformatarũ honorem, a calumnijs Hiſpanorum, non ſecundum ſcientiam Zelantium, & aliam confeſſionem fidei ei quã facimus omnino contrariam nobis aſcribentium, tueri ſatagam. Vnde per viſcera miſericordiæ D.n.vos omnes Eccleſiarum reformatarũ Paſtores, & Doctores meritiſſimi rogatos velim, vt totis viribus; totoq; pectore in eã curam incumbatis, vt veſtræ ſynceræ fidei cõfeſſio, populis exteris miſere deceptis innoteſ-

noteſcat, divulgatis per vos eũ in finẽ libellis proprio Hiſpanorũ, Italorũ, Gallorũ, & aliarum nationũ Idiomate, conſcriptis, vel traductis. Ego certe pro mea tenuitate, meas hac in parte vigilias, labores, ſudoreſq; ,ad extremum vſq; vitæ halitum libentiſſime impendam. Agitur hic, agitur de Dei gloria, & animarum ſalute, ac etiã de tuendo honore Sereniſſimi Regis Angliæ fidei Defenſoris & veſtro ab iniuriis Papicolarũ. Quorũ haud alio modo retundentur maledicta ac mendacia, quam iſthoc quẽ optat & ſpondet,

Veſtræ Beneuolentiæ Paternoq; Amplexui

Se iterum atq; iterum commendans

D. De Nicolas. & ſacharles D.M.